

plectitur enim ea dictio omnem potentiam & gloriam huius seculi. Consultò itaq; regnorum dictio-
ne utitur Propheta, ut spem faciat suis, nihil valituram contra potentiam Dei, quorumcunq; regno-
rum aduersariorum gloriam: quin tandem non solum cedant gloriæ Dei, sed nomen quoq; illius ce-
lebratura sint.

Obs. 3.
Expēde, quæ
sūt ista caci-
tas, quod ma-
ximam canti-
ci regna terræ
tātopere hor-
rent, detestā-
tur & impi-
gnant.

Tertiò, nec hoc prætereundum est, quòd non dicit, *Ululate, vel horrete regna terræ, aut timete Deum:*
sed, *Cantate Deo, psallite Domino.* Animus Prophetæ non nisi eam gloriæ Dei amplificationem intue-
tur, quæ ad salutem gentium, non quæ ad exitium erat factura. Regno Christi competit vniuersalis
omnium vbiq; regnorum lætitia, quæ cantico & Psalmis hîc exigitur. vnde rectè adiectum est *Selah:*
vt admoneat nos, quo vniuersalem hanc, propter vniuersalem noui Testamenti gratiam, omnium
regnorum huius Mundi lætitiā diligenter expendamus. Quòd autem non dicit, *Gaudete regna terræ:*
sed, *Cantate Deo, psallite Domino:* duorum nos admonet. Vnum, quòd gaudium Christianorum exu-
berare debeat in canticum oris Ita & Apostolus nos ad cantica & hymnos vocat, Colof. & Ephes.
Alterum, quòd non satis est gaudere & canere, sed exigitur vt cordis nostri gaudium, canticum
Deo: id est, laudem Dei pariat. Sic non solum dicit, *Regna terræ cantate:* sed addit, *Deo & Domino.* Quis
autem ignorat, quid exigatur ad hoc, vt Deo cantemus? de quo alibi diximus.

Ad alterum partis huius tertiæ membrum pertinent reliqua, quibus potentiam Dei celebrat, ce-
lebrariq; ab omnibus terræ regnis postulat, cum dicit: *Qui cælis inequitat, cælis illis antiquis, ecce dat in
voce sua vocem robustam. Date robur Deo, super Israël splendor eius, robur eius in nubibus. Terribilis Deus de sanctua-
rijs suis, Deus Israël: ipse dat robur & vires populo, benedictus sit Deus.*

His potentiam Dei duplici nomine prædicat. Primò, quatenus illa cœlestis: id est, in cœlis re-
gnans terribiliter ostenditur. Ad hoc facit, quòd dicit *Deum cælis inequitare, & voci suæ dare vocem virtus
tis, roburq; illius esse in nubibus:* quæ iuxta literam de cœli tempestatibus c. nit, quibus grauitè & forti-
ter desuper vox Dei velut indignabunda, mortaliumq; malitiam increpans detonat. Altero, quate-
nus ea in terris erga populum Israël declarata & illustrata est. Huc pertinent ista: *Super Israël splen-
dor eius:* id est, potentia & gloriæ illius maiestas & illustratio, *Deus Israël ipse dat robur & vires populo.*
Prædicat ergo Deum cœlo supernè, & terra infernè dominantem, vtrobiq; suam declarare maiesta-
tem. Et ad id referendum est, quòd numero plurali dicit: *Terribilis Deus de sanctuarijs suis:* intelligens
vttramq; illius sedem, qua & in cœlis & inter populum suum in tabernaculo regnat. Voluit hoc pa-
tè Propheta omnium eorum admonere populum Israël, quæ potentiam Dei cum supernè in
cœlis, tum infernè in terris, & potissimum ad populi sui defensionem, aduersus impios nominis sui
hostes, terribiliter declarant.

Cælis illis antiquis.] Tempestatum vim & terrorem Propheta libenter adducit. Cur id faciat, alibi
dictum est, vt Psalm. 18. & 29.

Cælis illis antiquis.] Quidam illud מַרְמָרָה non ad cælos, sed ad equitatum & ascensum Dei referūt.
vt sensus sit: *Qui cælis ab initio inequitat.* Hoc sensu fortiter percutit alienorum deorum cultores, qui
relictò vero illo & antiquo cœlorum Domino, recentes sibi ipsos deos elegerunt: qui vt cœli domi-
ni non sunt, etiam si cœlestibus per insaniam cæci cordis inferantur, ita certè dij non sunt. Verus au-
tem Deus, non est recens Deus, qui nouiter sit exortus, qui cœli dominatum non ab initio tenuerit,
sed priscus ille, ante quem nullus vnquam fuit.

Ecce dat voci suæ vocem robustam.] Virtus ista tonitruum Psalmo 29. graphicè describitur. Nobis hoc
loco obseruandum est, quomodo ista particula in regnò Christi habeat. Nam hîc certè vox Dei,
quæ per Euangelij prædicationem in toto terrarum Orbe insonuit, vocem habuit virtutis: non so-
lum quatenus illa in cordibus credentium ad salutem, sed & quatenus aduersum impiorum poten-
tiam & vim sese exeruit, fideli animo perpendendum est, quòd voci Dei robur & virtutem adscri-
bit. Nam in eo potissimum diuina maiestas declaratur, quòd verbum Dei, verbum est omnipoten-
tiæ.

Dat robur Deo. Quasi dicat: *Agnoscite vestram imbecillitatem regna terræ, nolite de viribus ve-
stris gloriari aduersus Deum, nolite insolescere: sed potiùs Deo subdi, illique roboris & potentia
gloriam adscribere. Necessaria admonitio, quæ nunquam non debeat potentium fastui & temeritati
occini.*

Super Israël splendor eius. Item: Deus Israël, ipse dat robur & vires populo.] Huius testimonia sunt in Scri-
pturis veteris Instrumenti plurima & luculenta. Sed quàm impar est quæso splendor ille veteris
Testamenti, collatus ei qui per regnum Christi super populo credentium illuxit: Illud: *Ipse dat robur
& vires populo,* magnam habet consolationem, si legas generaliter & præsentè, vt intelligas illum
hoc perpetuò facere.

PSALMVS LXIX.

AD PRÆCINENDVM SVPER LILIIS DAVID.

ARGVMENTVM PSALMI.

Habet hic Psalmus haud obscuram imaginem passionis Christi, deinde & vaticinia, tam de vltione
hostium Christi, quàm de salute Ecclesiæ. Potest autem diuidi in quatuor partes: vt prima continet
anxias Davidis & Christi adstricti querelas, cum intermixta precatione pro liberatione: altera,
dira imprecetur hostibus: tertia, gratuletur, & laudem Dei instituat: quarta, ad laudandum Deum cæ-
lum ac terram excitet, ac vaticinetur de prosperitate Ecclesiæ Dei.

PRIMA